

Summa Demonstrationis.

Definitio I.

τὸ SEMEL Einmahl est conceptus rei totius simul sumpta.

SCHOLIION.

Simultaneitas igitur, τὸ semel abstractè dictum, nihil importat à re (quam denominat) alieni, nihil Entis à re diverfi; sed ipsam eam rem, ut unam, notat, ejusque totalitatem connotat, ne pars tantum dici videatur. Hinc si res semel esse dicitur, tota dicitur esse; si semel non esse dicitur, tota dicitur non esse.

Def. II.

Unâ vice dicimus rem esse, quæ semel est: altera vice dicimus rem esse, quæ denuò, vel adhuc semel, est: & ita porro.

SCHOLIION.

Nempe, si plura fuerint τὰ semel, quorum unum alteri succenturiatur; dici solent VICES, quod totâ suâ VI sibi mutuò sint æquales, ut uni occidenti, surrogari possit altera prorsus æquivalenter.

Def. III. Observ. grammatica.

Voces SEMEL, & VICIS, de rebus æquè, ac de actionibus dici consueverunt.

SCHOLIION.

Sæpius quidem de certo quodam actu rei (quam denominat) realiter exhibito vel exhibendo dicitur utrumque vocabulum, & quidem non de externo tantum actu, v.g. semel ire, semel stare, semel sedere, semel edere, scil. hominem, unde Germanis die Mahlzeit / item ein Mahl / ein Abend-Mahl; sed & de interno v. g. semel esse, semel fuisse, semel fore, semel existere, semel mori. Non minus tamen frequenter etiam de rebus ipsis dicitur, sive res sub ratione numerorum indistinctè spectentur, ut semel unum, semel duo; sive sub essentiarum ratione distinctè spectentur, ut semel consul, i. e. totus Consul ut unus (non duo) semel lapis, i. e. totus lapis ut unus (non plures) semel florenus, i. e. totus florenus, ut unus, (non duo) Scilicet quamcunque denominationem ipsum Esse rei (v. g. lapidis, & quidem verum & reale nimirum actuale) sustinet; eam ipsa res (ipse lapis) non respuit, Nam Esse reale (lapidis) & Essentia realis (lapidis) idem sunt, saltem quod casu grammaticali differant.

I. 3.

Def. IV.